Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26119
Copyright: Admont, Benediktinerstift

205

mea fuit magis in loco humili salvari quam in alto periclitari, et in domo dei magis abiectum esse quam illis preesse quibus non possum prodesse. Sed quia tante sublimitati aures ad fastidium ubi nolumus onerare, si qua ad minus de necessariis dicta sunt, isti fratres supplebunt, et si opus fuerit probabunt.

CLXXI.

Paschali summo pontifici Ivo humilis carnotensis ecclesie minister, pro fideli dispensatione eterna perfrui visione. Quia dispensationis apostolice consideratio non omnibus placet, vel non omnibus eque nota est, immurmurant aliquanti adversus bonam dispensationem, quam immutare non audent adversus iustum iudicem. Dispensationes quoque ita libenter esse debent, ut si male meritis impendent misericordiam, bene meritis non inferant violentiam. Quod ideo prelibavi filiali dilectione paternitati vestre, quia domnus Odo cameracensis episcopus anxie gemit mecum et suis congemiscentibus quod Radulfum bribatensem archidiaconum sine audientia, sine iudicio archidiaconatu suo spoliastis, qui cum romana ecclesia semper fuit, Galcherum vero sedis apostolice impugnatorem eodem archidiaconatu investistis. Unde tam pro amore iusticie quam pro honore sedis apostolice consulendo supplicamus serenitati vestre, ut si alicuius importunitate extorta est de vestro ore in bene meritum seva sententia, ita discretione mea vestra modificetur, ut religiosi episcopi anxietas relevetur, et bene meriti non querentur, quatenus in hoc facto male meriti de sua presumptione non valeant gloriari, nec bene meriti a sua spe cadentes cogantur contristari. Virorum enim fortium antiquitus laus est parcere subiectis et debellare superbos.

CLXXII.

Ivo dei gratia carnotensis ecclesie minister, Pontio venerabili cluniacensium abbati, in regimine sibi commisso placere summo rectori. Quesivit a parvitate mea prudentie vestre diligentia, et diligentis prudentia vestra, quid in se significare videatur calicis elevatio, et eiusdem repositio, quid significent ille consignationes que fiunt super calicem et infra, et cetera que pretermissa videntur in libello quem composui de convenientia veteris et novi sacerdotii. Que ideo pretermissa michi videntur, quia ad convenientiam illam de qua in opusculo illo agebatur parum aut nichil pertinere videbantur. Cum vero ista per se considerantur, misticum aliquid continere videntur, preter illas consignationes, que distincte ante ista in his locis frequentantur. In hibi enim specialiter intenditur ut illa dona que iam vocantur sacrificia in Christi corpus et sanguinem commutentur, vel commutata salutaria nobis efficiantur. Cum autem panis et calix adhibito diacono elevatur, exaltatio Christi corporis in cruce commemoratur. Quod vero cum hostia iam consecrata, intra vel super calicem signum crucis imprimitur a latere calicis orientali